




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-605904-p0001-4

DFG



7735

1135

I. N. 3.

1698, 3

18

DECADEM  
THESIUM  
MISCELLANEARUM,  
NOBILISSIMÆ  
FACULTATIS JURIDICÆ  
CONSENSU,  
SUB PRÆSIDIO

DN. THEODORI PAULI,

U. J. D. & Profess. Primarii,

*Parentis & Preceptoris sui Venerandi,*

Placidæ Eruditorum Ventilationi  
exponit

THEODORUS CHRISTIANUS PAULL,

Regiomont. Prussus.

Die Julii M DC XCVIII.


Horis Locoque consuetis.

---

REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT. BRAND.  
ET ACAD. TYPOGR. HÆREDUM,





**B. C. D.****Th. I.**

**J**usti non sunt, qui Justitiam in ore quidem gerunt, & verbis ubique crepant, ubi vero ad rem ipsam perventum fuerit, aliter dicunt, & aliter faciunt, sed justi sunt, qui justa volunt & agunt. Quodsi vero per fortunæ injuriam quis virtutis suæ radios actionibus præclaris in publicum spargere nequeat ( quippe alii facultatem, alii voluntatem rectè agendi habent ) is nihilominus quodammodo justus est, quatenus nempè habitum virtutis animo vel mente tenet. Ad quorum tamen familiam non pertinent, qui quamdiu extra negotia vivunt, aliorum actiones fugillant, postea vero in consortia recepti, vel statim dicunt: se nunquam credidisse, omnia tam exactè in Senatu peragi, vel qui corruptelis non ideo infensi sunt, quia injustæ, sed quia suo arbitrio vel commodo res non geritur. Tales plerumque in aliis culices percolant, ipsi vero Camelos deglutiunt, vel in alterius oculo festucam vident, in propriis vero trabem animadvertere non possunt, i. e. non vident manticè quod intergo est. Cui dealbatæ Justitiae, qui facilè credit, facilè decipitur. Virum igitur justum non verba vel ostentatio, sed facta ostendunt.

**Th. II.**

Illa Justitia verè universalis dici meretur, quæ universaliter vel ex æquo, nullo personarum respectu vel delectu, absque sordibus, artibus & corruptelis, sine strepitu, omnibus, etiam ignotis æqualiter administratur. Principia ejus sunt, honestè vivere, neminem ladere, fauus cuique tribuere.

**A****Quæ**

1137.

Quæ ubi in Republica florent, ibi pax & vera justitia se invicem osculantur. Præter hanc vero nonnullibi alia prodiit justitia particularis, illa scilicet, cuius non omnes, sed felices vel miseri tantum fiunt participes, cuius principia potiora sunt: *Duo cum faciunt idem non est idem*, *circumstantiae variant rem*, *item pecuniam in loco negligere*, *maximum interdum est lucrum*. Ex istis principiis non quidem *vi formæ*, sed necessitate *materiæ* nonnunquam aliquid sequitur. Quæ Justitia quo auctore cooperit? incertum est, fortassis tamen illo, qui hominibus non vigilantibus, superseminavit Zizania. Certè *Jovis* vel *Dei* filia dici non potest. Interim illa Justitia universalis, quam complexum vocant omnium virtutum, quæ juxta nonnullos finis est Jurisprudentiæ, dulcis conceptus vel idea est immodicæ beatitudinis, Sutoris illius desiderio non absimilis, qui artem suam quomodo cunque callens, statim infinitos gestit facere calceos, cum unum vel alterum ad unius hominis pedem recte vel perfectè confidere nondum valeat. Et utinam qui omnes virtutes introducere cupiunt, solius tantum justitiæ, veræ tamen, nos reddere possent participes.

Th. III.

Ex quo Jus Naturæ cœpit definiri per dictamen rectæ rationis, tantæ de restitutidine illa contentiones ortæ sunt, ut parum absit, quin perdiderimus cognitionem recti & curvi. Etenim cum quilibet suam rationem putet esse rectam, atque ideo libertatem ab aliis dissentendi sibi salvam cupiat, inde Jus Naturæ per dictamen rectæ rationis definire, esse cu nil aliud est, quam dicere, Jus Naturæ illud esse, quod unicuique sua sive recta sive corrupta dictitat ratio. Inde tot opinionum divortia & portenta. Ex solis Anglis plures octo recenset Samuel Rachelius *Diss. prim. de J. N. & G. n.*

100.

100. usq; ad 105. qui hoc rectæ rationis exercitio inclaresere voluerunt, ita tamen, ut ad Hobbesium perveniens, lemma addiderit: *occupat extreum scabies*: quasi labor ille, & magni conatus tandem in scabiem i.e. atheismum & nugas abicerint. Nobis quidem facile fit volentibus, ut quilibet suo sensu abundet. Interea tamen nihil periculosius videtur, quam prima re st̄ vivendi principia, literatorum Disputationibus committere, qui partim ex dissentiendo, partim novandi prurigine (aliquando etiam ex inscitia) s̄pē ima summis, & quadrata rotundis miscent. Principiis honesti & æqui eam reverentiam debemus, ut assentiri iis potius, quam à priori demonstrare debeamus: quippe principiorum non datur demonstratio, sed si ea ex prioribus eruere velis, concedendum est, ve ea non esse principia, quia non sunt prima, vel in infinitum aliquid probari posse, quod est inconveniens. Unde licet omnium juris Naturæ capitum rationem analyticam reddere non possis, inde tamen nondum sequitur, eanon esse juris Naturæ, sed potius honestatem naturalem in aliquibus ratiociniis nostris esse evidenter, atque ideo probatione non indigere, quod jam tum ab omnibus vel plerisq; saltem ultrò conceditur. Et quanquam contingat unum vel alterum aliquando dubitare, istud tamen in tanta consentientium multitudine attendi non meretur, quamdiu scilicet illi dissentientes intra terminos se continent. Motus vero vel scandala excitantes, non ratione, sed poena in ordinem rediguntur. Sanè Veteres, etiam Ethnici, ut evidenter iam juris Naturæ ostenderent, sapienter istud descripsérunt per id, *quod natura omnia animalia docuit*, non quasi statuerint, Jus revera in bruta cadere, sed ut temerè dubitantes de veritate principiorum, ipsorummet brutorum exemplis convincerent. Et ideo Zamoyscius cum Nuptias Sigismundi III.

A. 2

Re-

1139.

Regis Poloniae, cum Sorore Uxorū defunctū impedire vellet,  
in Literis Pontificē rogavit, ut parceret honestati Polonie,  
quam avita Gentis morum severitas, etiam in gregibus equarum  
violari non permetteret, vide Piasc. in Chron. pag. m. 221.

Th. IV.

Suppliciorum seu pœnarum modos vel species, in gravioribus delictis, Jus Naturæ præcisè non definivit, sed supremæ in terris Majestati reliquit, pro salute & necessitate Republicæ prudenter definiendas. Enimvero pro ingeniorum cuiusque Populi tractabilitate, duricie, asperitate, gravioribus delictis aliquando mitiores, & contra minoribus delictis graviores pœnas irrogari oportet, ni Rempubl. perdere, vel suppliciis exhaustire velis. Quam in rem prudenter Illustris Thuanus, memini (inquit) me begere, Ciceronem Cato-ni succensere solitum, quod cum corruptissimo secuto viveret, in Legibus tamen dicendis, adeo severus & rigidus esset, ac si in Platonis Republ. versaretur. Nam in legibus id præcipue spectandum arbitror, ut quomodo pedicalecens, sic tempori, & ius quorum gratia fiunt, quadrent & convenient. Alioquin præclaris illis in speciem Edictis, idem usu veniet, quod illis à Demetrio, tanta arte fabricatis navigiis, aspectu quidem pulchris, que cunctos in sui admirationem rapiebant, ad navigationem vero erant inutilia.  
Tom. 5. Part. 3. ad Annum 1562.

Th. V.

At si Jus Naturæ supplicia non definivit, inde fortè sequetur, ex gravioribus delictis v. g. homicidium, alio quam capitali suppicio justè puniri posse. Quod negat Philo, do-

Eis

1140

Illustrissimus Judæus Lib. de *specialibus legibus*, reprehendens eos, qui percussori multam, vulneratori ignominiam, homicidat exilium, furi vincula constituunt, inæqualitate vel disparate, juri (ut loquitur) inimica, quæ leges non stabiliat sed tollat. Affirmativa contra tuetur *Autor Poloniae defensæ*, qui creditur esse Illustrissimus Georgius Ossolinski, ubi pag. m. 80. & sequ. contra Barclajum, Polonos sarcasticè pungentem, quasi homicida apud eos liberetur, modo paucos nummos in caderer occisi conjiciat, eruditè differit, ac probare nititur, ad finem pœnæ homicidii legitimæ consequendum, præcisè non requiri pœnam capitalem, sed illam sufficere, quæ postquam castigavit, pœnitentiæ & correctioni locum relinquit. Ad legem vero divinam respondet, pœnam capitum in veteri Testamento sanctam, ad leges Judiciales pertinuisse, quæ Christianis nec imperatæ, nec prohibitæ sunt. Ut ut igitur à pœna *Mosis* non temerè recedendum putet, audacter tamen (inquit) affirmo, per illam non esse vetitum civili potestati, mitiora sanciendi, pro ingenio & natura populorum. Si enim licita Ei est citra peccatum clementia seu remissio pœnae, (quod nemo diffitetur) cur non & regularis moderatio vel temperamentum. h. i. Sed vereor ne sint qui negent, clemenciam seu remissionem, quam aggratiationem vocant, Principi in homicidio competere, illi scilicet, qui statuunt, terram cœdibus pollui, & reatum cessantis ultimi supplicii, non obstante pœnitentia peccatoris, continuò ad cœlum clamare, & in ipsum Principem recidere. Quæ sententia utut laude non careat (quippe Respublica, cui talibus imbuti principiis præsunt, procul dubio beatior est, ac ubi ultima supplicia tantum prostant pro rusticis, aliisve pecuniam non habentibus) vertuntamen & id subinde cavendum, ne afferamus, in Novo Testamento peccata tolli sanguine homicidæ. Quod.

A 3

pa-

1141.

parum abest, quin in Christi meritum injuriosum sit, qui postquam perfecto suo sacrificio semel introivit in sancta, solus Deum Patrem conciliat pœnitentibus. Hinc typum vitulæ, ac necessitatem expiationis per sanguinem sustulit, proprii sanguinis aspersione, qui ideo melius clamat quam sanguis Abelis, ut notanter loquitur Apostolus ad Hebr. XII. v. 24. Supplicium igitur capitale hodiè ad Reipublicæ securitatem tantummodo pertinet, in qua si homicidia adeo forent rara, ut vix hominum memoria, unum vel alterum exemplum contingeret, tunc & exilii poena sufficere posset. At cum indies patrentur, atque ideo nimium sint frequentia, inde improbiores homicidæ etiam ab altari rapiuntur, ita tamen ut præser-tim in casibus præcipitantiæ, & inconsulti caloris, quem serius dolor sequitur, Principi Summo jus gratiæ negari nequa-quam possit.

#### Th. VI.

Servos natura dari non ambigimus, illos scilicet, quos in numerum pecorum redegit hebes natura, & ignoratio sui. Quibus adhuc deteriores sunt adulatores, de quibus Tiberius, quoties curia egrediebatur, græcis verbis dicere solebat. O! homines ad servitutem paratos. Ut ut enim libertatem publicam odisset, tædebat tamen Eum vel aspicere assen-tatores, abjecta ubique & sordida patientia, etiam in rebus malis & noxiis sibi assurgentibus, vide Tacitum lib. 3. Annal. c. 68.

#### Th. VII.

Protestantes in matrimonialibus merito quidem rejiciunt dogma Pontificiorum, conjugium esse Sacramentum, con-

1142

conclusiones tamen, quas Papicolæ inde velut fonte deri-  
vant, plerumque non rejiciunt, sed retinent. Hinc contra  
voluntatem Parentum initum conjugium filiifamilias, sæpè  
etiam minorenis, artibus & blanditiis seduicti, modo con-  
cubitu & sacerdotali copula roboratum fuerit, non dissolvunt,  
quod Pontificii nequaquam facerent, nisi conjugium sacra-  
mentum esse contenderent, in quod, velut rem sacram, Paren-  
tibus Laicis quidpiam juris concedere non possunt, quoniam  
dato hoc, & in vota liberorum monastica, aliaque plurima  
sibi potestatem sumerent, & multas accessiones Clericis præ-  
riperent, quod est contra prima Forum principia. Alioquin  
proterviam liberorum, eorumque clandestina conjugia  
Romana Ecclesia semper detestata est, etiam in Concilio Tri-  
dentino. Ad quod scitè Polanus p. m. 884, multos (ait) hæsisse,  
cum cernerent, tanquam articulum fidei definiri, matrimonia clan-  
destina vera esse Sacraenta, & Ecclesiam nihilominus ea detesta-  
tam, cum per quam absurdum sit, Sacraenta habere detestabilia.  
Similiter ex isto principio, nempè quod matrimonium sit Sa-  
cramentum, Pontificii concludunt, Polygamiam simulta-  
neam esse crimen adulterio gravius vid. *Const. crim. Carol. V.*  
*n. 21.* Idem amplectuntur Nostrates, atque inde porro eli-  
ciunt, in Polygamia intercessioni conjugum locum non esse.  
Sed minus rectè. Etenim si falsum est antecedens, ex eadem  
ratione verum esse non poterit consequens. Unde Prote-  
stantes aliam ejus asserti rationem reddere oportet, quam ha-  
ctenus nondum vidi. *Carolum V.* vero ibi non alia, quam  
Sacramenti ratione niti, inde patet, quia eum qui decem  
concubinas Uxore reluctante alit, capite non punit. At con-  
sentienti, aliam conjugem superinducentem, ultimo sup-  
plicio dignum judicat, quia sacramentum sacramento addit,  
quæ ratio apud Evangelicos inanis est & nihil concludit.

Th.

1143.

Th. VIII.

Consensus quidem facit Nuptias l. 30. ff. de R. I. Sed inde nequaquam sequitur, ergo sponsalia Juris Civilis omnia sunt de futuro consensu, cum praesens faciat nuptias, vel deductio in domum Jure Civili ad nuptias non fuit necessaria, vel liberi nati ex conjugio Sacerdotali copula destituto, sunt legitimi, item matrimonium esse potest sine concubitu & corporum conjunctione, quæ aliaque plurima ex isto principio minus rectè vulgo solent elici.

Th. IX.

Jus altius tollendi JCtis malo omne est servitus. Unde humi repere, vel ad altiora tendere, juridicè perinde est, quia utroque casu fit jure servitutis. Politicè autem res forte aliter sese habet. Hoc enim sensu, quo quis res suas altius tollit, eo sibimet liberior & splendidior plerumque videtur. Sed erroneè. Etenim si dicendum quod res est, jus altius tollendi juridicè non servitus, sed libertas est. Contra qui politicè justo altius ædificant, ex libertate plerumque recidunt in splendidam servitutem. Fortè igitur qui in medio vel modicè habitant, erunt beati? nequaquam: quippe & hi, licet quietiores & paulò libiores sint, pro re nata tamen ab inferioribus fumo, à superioribus vero lotio infestantur. Quamobrem politicè ab omni parte beatum est solum NIHIL. Quod tamen qui habet, rem beatam quidem habet, sed ideo nequaquam est beatus.

Th. X.

Ex imperfetto Testamento Principem non decere quidpiam capere, JCti Veteres sapient responderunt. Sed sequiturne

1144.

tur ne inde, quod Testamenti, quoad solennitates imperfecti,  
defectus, in causis privatorum, ex potestatis plenitudine, ad  
hunc effectum, ut privati inde aliquid capiant, supplere Princeps  
similiter non possit? Cujus quæsiti decisio ab isto præ-  
judicio dependet: an Princeps confirmatione Testamenti  
imperfecti, heredibus ab intestato jus quæsิตum per injuriam  
aufferat? Quod utcunque minus rectè generaliter afferitur,  
cum multis limitationibus indigeat, atque ideo multis in casis  
bus falsum sit, ut alibi fusè à Nobis demonstratum est.

## COROLLARIUM.

Juxta Simonis Staravolscii judicium in *Polonia recognita & aucta p.m. 55.* Academia nostra Regiomontana, ab Alberto, Exmagistro (uti vocat) Ordinis Teutonici erectora, & Lutheranis Professoribus commissa, hucusque incognita habetur, nullisque ingenii efflorescit. Ex adverso ante annos non adeo multos Jesuitæ quidam in Vicinia, nonnullos nostri Ordinis Professores, nescio quibus non laudibus ad invidiam usque extulerunt. Quæ si vera sunt, *Staravolscium* mendacii convincunt. Sin vero falsæ, vel quod credibilius, subdolæ, tunc merito reponimus: qualia vestra de Nobis sunt elogia, talia etiam vituperia, & contra. Unde tam encomia vestra, quam vituperia imposterum sollicitè deprecamur. Imo quid tandem juvat inclarescere, si conditio spectatae virtutis deterior est quam incognitæ?

MO-

1145.

MONITA.  
PARENTIS  
AD  
FILIUM!

Dum Te Fili unice & charissime, annum duodecim  
vix egressum, in Cathedram Juridicam, citò  
satis produco, eam ob causam cave ne superbias.  
Etenim si quod promittis non impleveris, satis uterque  
sumus miseri & risu digni. Quod si vero, DEO dante,  
plus, quam jure à Te exigi potest, præstiteris, nec tunc  
cristas eriges, bene gnarus, id si alias ea ætate posset,  
fortè multum fore, Tu vero quia facis, nihil esse. In  
terim animum non desponde. Incidimus equidem in  
Tempora valde lubrica, in nimium & parum proclivia,  
quæ (ut dicere soles) felicibus optima, & miseris tantum  
maligna videntur. Contra quorum injuriam, à puero  
ita animum & mores componere discas, ut siue mergaris  
siue supernates, velut apud Cœn., in omni fortuna, tam  
prospera, quam adversa, honestè vivere valeas. Ante  
omnia vero DEUM time, & PRINCIPEM honora. In  
reliquis Fata viam invenient, dirigente Illo, qui facit  
misericordiam à Progenie in Progeniem, timentibus Eum.

SS (o) SE




**ULB Halle**  
006 301 584

3




VDA7





**Farbkarte #13**

| B.I.G.      | Black |
|-------------|-------|
| Centimetres | 19    |
| Inches      | 8     |
| 1           | 1     |
| 2           | 2     |
| 3           | 3     |
| 4           | 4     |
| 5           | 5     |
| 6           | 6     |
| 7           | 7     |
| 8           | 8     |
| 9           | 9     |
| 10          | 10    |
| 11          | 11    |
| 12          | 12    |
| 13          | 13    |
| 14          | 14    |
| 15          | 15    |
| 16          | 16    |
| 17          | 17    |
| 18          | 18    |
| 19          | 19    |



1. N. 3. 1698, 3. 1135  
DECADEM  
THESIUM  
MISCELLANEARUM,  
NOBILISSIMÆ  
FACULTATIS JURIDICÆ  
CONSENSU,  
SUB PRÆSIDIO  
**DN. THEODORI PAULI,**  
U. J. D. & Profess. Primarii,  
*Parentis & Præceptoris sui Venerandi,*  
Placidæ Eruditorum Ventilationi  
exponit  
**THEODORUS CHRISTIANUS PAULL,**  
Regiomont. Prussus.  
Die Julii M DC XCVIII.  
Horis Locoque consuetis.  
—  
REGIOMONTI,  
Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT. BRAND.  
ET ACAD. TYPOGR. HÆREDUM.